



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-400803-p0002-8

DFG

1765,10.

S P E C I M E N
C O N T I N E N S
C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S V M
D E
S P O N S A L I B V S
D V R A N T E M A T R I M O N I O
C O N T R A C T I S
Q V O D
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E
D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G
P R O F E S S O R. P V B L I C. O R D I N. I V R. N A T. E T. G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R. D V I S B V R G. S O C I O
P V B L I C E
I N A V D I T O R I O P E T R I N O
D I E X X X. S E P T E M B R. A N N O C I C I C C L X V.
D E F E N D E T
C H R I S T I A N G O T T L O B K R V M P O L T
S C H N E E B E R G.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.

21

EX OFFICINA FRANCENHEMI
LIPSIAE

DE

S P O N S A L I B V S

C O N S T A N T E M A T R I M O N I O

C O N T R A C T I S .

§. I.

Vix caperent pagellae hae, si ex origine Sponsalium historiam et iura late repetere velimus: nec permitteret breuitas libelli, controversa illa themata iuris, quae Sponsalia tangunt, partim ex antiquo Romanorum iure, partim ex Canonibus ecclesiasticis, patrum sententiis et Romanorum Praesulum bullis, partim ex patriis moribus et legibus illustrare atque decidere. De singulari quadam specie dicturis sat erit ea tantum praemittere, quorum notiones ad liquidum deductae efficere possunt, ut controversam nostram causam cognoscere atque diiudicare valeamus.

§. II.

Nihil nos moratur nominis ratio et etymologia, quam quiuis facile latini Sermonis haud ignarus intelliget; Sane spon-



si sponsaeque denominationem ea videtur produxisse consuetudo, qua non semper ipsae olim iungendae dein matrimonio personae, sed magis parentes obligationem contrahebant, interposita spondendi stipulandique celebritate. Sat vero est, scire, sponsalia esse mentionem et re promissionem futurarum nuptiarum, teste FLORENTINO in L. i. π. de Sponsal. eaque ab iis contrahi posse, qui futurum inchoaturi sunt matrimonium. Recte ergo solutae tantum personae valide sponsalia celebrabunt. Et cum polygania pariter ac polyginia et Romanis et Ecclesiasticis et patriis iuribus et moribus improbentur, vna saltim Sponsalia legitime contrahi possunt, cum illicitum sit, plures vna coniuge ducere, et pluribus vni nubere. Improbarent ergo Romanorum leges bina Sponsalia, atque adeo infamiae poena notarunt, qui bina contraxerunt Sponsalia, ut est in L. 13. §. 1. π. de his qui notant. infam. quam peregrini Iuris dispositionem comprobare videtur certo modo ORDINAT. Matrim. Elec. Sax. Tit. Von Ehegeldbnissen §. Wenn sich jemand ic. Patet inde, delictis accensenda esse Sponsalia bina, maxime tunc, si dolus concurrat, a quo liberari nequit is, qui scit, se Sponsalia iam celebrasse, nec ab eorum obligatione liberatum esse.

§. III.

At cum vel publica vel clandestina sint Sponsalia, dubitari poterit, cum nouissima iura clandestinis ciuilem obligationem negent, nec ex iis actionem concedi constet, nisi in quibus foris Sacramenti vis ingenia corrumpit, vt fauore illius omnem promissionem comprobent, an si publica et clandestina a quoquam celebrata sint simul, in poenam incidat. Evidem non virgo, quae vulgus sentiat: quot enim iuuenili voluptate ducti puellae promittunt matrimonium, quam postea

postea, mutato rerum statu, vel praeterlapsso aliquo tempore, promissionem negligunt, alii femellae publice fidem dant, interposita transactione cum priori, imo, soluta temeritatis multa, et confirmata transactione, non minus honesti videntur, quam quos nunquam improba vexauit Venus. Magis iuris analogiam videamus; et arbitror poenam legibus sanctam adeo infamiae non euitare, bina celebrantem Sponsalia, licet clandestina celebrauerit, quippe intercedit pactum, cui naturalis obligatio negari nequit, et fidem datam semel, dein fallere, graue sit: nisi prouincialis lex, vel fori vsus, infamiae poenam improbet.

§. IV.

Magis ergo παράδοξον erit, si is, qui iam in coniugio vivit, virgini fidem det, de futuro cum ea celebrando matrimonio. Sed varia hic singi possunt themata. Quid ergo, si taedio prioris coniugis cessante coniugali amore, alii foeminae matrimonium futurum spoponderit, atque cum ea vel tanquam cum pellice vixerit, vel faltem improbam venerem exercuerit; forsan vix quisquam huic promissioni, cum delicto coniunctae, obligationem tribuet. Sicut enim Iure NOVELL. CXXXIV. cap. 12. adultero non licet adulteram in matrimonium ducere, nullo apposito disermine, et Iure CANONICO pari modo improbetur, - si adulterae fidem dederit adulter, vt sentit INNOCENTIUS in cap. 6. X. de eo qui duxit in matrem, quam polluit per adulst. quod hodie obseruari putat MENCKEN in Theor. et Prax. π. I. XXIII. Tit. 2. §. 23. ita vix cogitari potest ob id, quod vulgo dicunt, adulterum capite plectendum, vt adulter adulteram postea ducat, ex Sponsalibus obligatus cum ea initis, viuente adhuc priori thori socia, nisi ex illa ICTorum solertia introducta distinctione distinguere velis, an seminis immissio facta, et ab utraque parte



confessione affirmata, an vero minime. Hac enim distinctione posita priori specie cum poena capitalis exulet, quaestio dari posset. Sed abiit forsan in desuetudinem hoc delictum, cum tam rarissima eius sit persecutio, et rarior gladii usus. Sic non in peius ruit aetas!

§. V.

Alterum vero thema erit: si quis, non interueniente adulterio, viua coniuge, cum alia Sponsalia celebravit. An hacc Sponsalia obligent? Si ex rei indole diiudicanda quaestio, procluuis estem in eam opinionem, ut huic promissioni obligationem negem. Quo enim quaeſo modo is, quem adhuc coniugii tenet vinculum, de alio contrahendo cogiter, cuius fidem adimplere nequit. Sed videtur contrarius esse GREGORIVS IX. in cap. 8. X. de eo qui duxit in matrem, quam polluit per adulter. Videamus an vere dissentiat? Ait: *Si quis vxore viuente fide data promisit, aliam se ducaturum, vel cum ipsa de facto contraxit, si nec ante nec post (legitima eius superstite) cognovit eandem: quamvis utrique ipsorum pro eo, quod in hoc grauiter deliquerint sit poenitentia iniungenda: non est tamen matrimonium, quod cum ea contraxit post vxoris obitum, dirimendum. Cacterum tolerari non debet, si prius vel postea dum vixerit vxor ipsius, illam adulterio polluisse.* Ponderatis his verbis, vix arbitror, Gregorium his Sponsalibus obligandi vim tribuisse. Nam verba: *non est tamen matrimonium dirimendum, alium penitus sensum concedunt.* Fac, Titium maritum, viua sua Titia, Caiae virginis fidem dedisse de futuro contrahendo matrimonio, post moriebatur Titia. Maritus, ut fidem datam adimpleret, dicit in matrimonium Caiam. Quaerebatur: an valeret vinculum hoc coniugii, non obstante, quod viua vxore iam de eo contrahendo fidem derat.



derat. Affirmat hoc Pontifex in verbis: *non est tamen matrimonium, quod cum ea contraxit post uxoris obitum, dirimendum.* At vero, si Titia mortua maritus fidem datam seruare noluisset, an ex his Sponsalibus tanquam validis agere potuissest Caia? Et negandum videtur, ob Gregorii verba: *quod in hoc grauiter deliquerint, sit poenitentia iniungenda.* Si ergo in contrahendis sponsalibus ab utrisque delictum commissum expiatione et poenitentia coercendum, quis afferat, huic illico facto vim et obligationem inesse? Causa vero, quam in Sacramento deprehendimus, cum ei non praecedat adulterium, firmum atque indissolubile seruat semel contractum matrimonium.

§. VI. *Si titus mortuus est, viduam suam in matrimonio alicuius maritus non possit contrahere.*

Sicuti vero sponsalia non valebant, existente adhuc priore coniugio, matrimonium vero non dissoluebatur, Tertia species adhuc explicanda; Si videlicet maritus, viuente adhuc coniuge, at morti vicinae, volente roganteque illa, virginis fidem dederit, de ea in matrimonium ducenda, soluto priori matrimonio morte coniugis. Vel inuersum dabimus Thema: maritus Titius morti vicinus, aut in ea valetudinis conditione positus, vt sentiat, vix se amissam sanitatem recuperaturum. Amat coniugem, eique bene post mortem suam esse cupit. Habet amicum Caium, tentat eundem, an viduam forsan sit ducturus, an amare eandem possit. Confirmat Caius, se utique viduam Titii vere amare et amaturum, si coniugalem postea ipsi fidem dederit. Tentat et coniugem, an Caium amicum aliquando sit amatura, si forsan post mortem suam cum ea vinculum matrimonii sit contracturus. Declarat Titia, se non dubitare, quin cum Caio consociata viuere posset, si post mortem mariti viduam sit ducturus. Utrosque aduocat maritus, et iam hortatur etrogat, vt Sponsalia seu mentionem



nem et repromotionem ineant, de matrimonio inuicem celebrando post mortem suam, elapso ad lugendum spatio legitimo. Dant inuicem fidem: confirmat vota conditionata maritus. Quaeritur, an Caius aut Titia fidem datam fallere et a promissione recedere possit? Concedo, si quae sit legitima repudii causa, mortuo simul datam fidem, non efficere posse, vt ad consumandum matrimonium cogi possit. At si ex eo tantum dissentiat, quod inualida putet sponsalia, arbitror, eundem vel eandem a Sponsalibus recedere non posse. Est enim illa Sponsalium celebratio, viuо coniuge, obinde illicita, quia eo tempore quo celebrantur, superstes pars in suo videotur laedi iure: et quamvis talia in se videntur Sponsalia semper habere hanc conditionem, vt valeant, si prius solutum sit matrimonium, tamen improbanda, cum adhuc in eo vinculo versetur alter coniux, vt fidem alii personae dare nequeat. Quapropter si ipse alter coniux, qui his promissionibus se laesum putare posset, non tantum consentiat in eam promissionem, imo illorum sponsalium potius autor est: Praeterea intentio simul haec veniat, vt viduae suae post suum obitum bene esse cupiat, eoque prospiciendi animo in Sponsalia consentiat, vitium ab hac promissione abest, nec dubitandum, secuta post mariti morte, vtrasque inter se partes ad matrimonium consumandum teneri, valideque ex iis Sponsalibus obligari.

T A N T V M .



Sb
7 felde





765,10.

S P E C I M E N
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
S P O N S A L I B V S
DVRANTE MATRIMONIO
C O N T R A C T I S
Q V O D
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG. SOCIO
P V B L I C E
IN AVDITORIO PETRINO
DIE XXX. SEPTEMBR. ANNO CCCCCCLXV.
DEFENDET
CHRISTIAN GOTTLÖB KRVMPOLT
SCHNEBERG.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

